



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 3. Non implet Ecclesiæ imperium, qui debito modo non recitat
Canonicum officium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

frustra Publicanus ille oculos in terram demittens, & peccatum percutiens diceret: Deus propitius esto mihi peccatori. inquit rectè S. Augustinus tr. 44. in Joann. Undè illud dicitur. Scimus, quia Peccatores Deus non audit: S. Thomas de peccatoribus quæralibus, id est, petentibus dona Dei, ut peccare possint, intelligendum ait.

Deducitur 2. Causam, cur multi non obriuant, quod tenent, esse, quia conditiones præscriptas non observant. Ita illud Jacobi c. 4. *Petitis, & non accepistis, ed quia male petastis.* Undè rectè S. Isidorus l. 4. epist. 12. ait, *ut dant à te, qua exiguntur à te, & tunc demum ea, qua tibi auxilii divini subsequantur.*

Deducitur 3. Etiam si S. Thomas & S. Augustinus ad dant conditionem, ut pro se petatur aliquid; rectè tamen Suar. valent. Tolet. apud Laym. n. 10. docere, promissionem Christianam ad orationes pro aliis suas se extendere, si dispositi sint, uti ex S. Jacobo colligitur c. 5. dicente: *Orate pro invicem, ut Salvemini; multum enim valet deprecatio iusti as-*

PRINCIPIUM III.

Non implet Ecclesiæ imperium, qui debito modo non recitat Canonicum officium.

Sensus.

Hoc est, qui in Horis Canonicis non observat eas circumstantias, quas oratio tum ex natura sua, tum Horæ illæ specialiter ex præscripto Ecclesiæ requirunt, non satisfacit excepto gravi, quo obstringitur ad Horas Canonicas recitandas.

Authoritas.

Desumptum est ex cap. dolentes de celebratione Missarum & in Clem. 1. eod. tit. uti Studiosè pariter ac devotè officium dici præcipit Innocentius III. ubi Glossa hæc verba interpretans e², studiosè quoad officium oris, devotè quoad officium oris, devotè quoad officium cordis.

Ratio.

Quia, sicut Ecclesia ad ipsam substantiam orationis hujus

jus obligare potuit, ita potuit etiam certas circumstantias præscribere, quæ in recitandis Horis Canonicis observari debeant; atque adeò, sicut non satisfacit imperio Ecclesiæ, qui ipsas Horas Canonicas omnino omittit, ita nec satisfacit quoque, qui circumstantias sub gravi obligatione præscriptas negligit.

Praxis.

Hinc deducitur 1. non satisfacere obligationi suæ illum Sacerdotem, qui sine legitima causa non recitat officium ab ipsa Ecclesia præceptum, sed illud in notabiliter brevius mutat; uti Laym. n. 4. cum pluribus aliis sentit.

Deducitur 2. Etiam illum, non implere præceptum Ecclesiæ, qui cum notabili interruptione sine legitima causa recitat Horas Canonicas, uti ex c. nihil 7. q. 1. & c. nullus de consecr. d. 1. colligitur, & patet ex eo, inquit Layman. n. 7. quòd sic unitas & quasi forma orationis ab Ecclesia instituta solvatur.

Deducitur 3. Etsi non pauci, & graves Doctores solam attentionem ad verba sufficere contendunt ad Ecclesiæ præceptum adimplendum; contrariam tamen sententiam, quæ negat cum voluntaria distractione satisfieri præcepto Ecclesiæ, communiorem, & probabiliorē esse, uti Layman. n. 10. cum plurimis docet, & ex ipsa natura orationis, quæ est elevatio mentis ad Deum, colligit.

PRINCIPIUM IV.

Non est liber ab omni crimine, qui officium Canonicum non recitat in tempore.

Sensus.

Hoc est, qui in Horis Canonicis consuetum tempus sine justa causa non observat, non est omnino à veniali saltem culpa liber, si privatim eas recitet; secus si in publicis horis ordinem cum scandalo notabiliter inverteret, tum enim merito graviter peccare dicendus foret.

Authoritas.

Desumptum est ex communi Sensu Doctorum, ut videtur est apud Laym. n. 8. unde natum est illud proverbium ex Hugone